

P T O L E M .   G E O G R A P H .

men nos circumambit, neq; tota simul,  
neque particulatim ab eisdem homini  
bus peragrari potest.

A N N O T A T I O N E S   I N  
primum caput.

**D**istinguit author in hoc primo capite geo-  
graphiam à Chorographia, assertq; hāc  
ab ista differre in tribus. Primo, Geographus de-  
scribit uniuersaliores orbis terre partes, secun-  
dum rectam iustumq; symmetriæ rationem, tam  
ad se inicem, quam ad totum terrarum orbem &  
ambitum. Chorographus uero describit singulas  
partes diuisim, etiam minutas quaq;, puta expli-  
cat seorsum pictura certa locum aliquem absque  
omni comparatione ad alia loca atq; ad totum ter-  
rae ambitum. Hanc differentiam Ptolemeus expri-  
mit exemplo & comparatione artis pictorum, qui  
in figurandis corporum imaginibus, maiora mem-  
bra primum lincis suis explicant, uelut caput, bra-  
chia, manus, pectus, uentrem, coxas, crura, pedes.  
Deinde minutiora membra illis maioribus con-  
tenta, uelut oculum, nāsum, os, &c. suis lineamen-  
tis & aptis coloribus representat. Sic etiā geo-  
graphia maiora loca, uelut celebriores ciuitates,  
integras prouincias, et maiora flumina descriptio-  
ne representat. Chorographia uero minima que-  
dam loca, uelut uillas, arces, portus, riuiulos, pra-  
ta, saltus, &c. quām similius potest accommoda-  
tis coloribus explicare molitur. Altera differentia  
hāc assūgnatur, quod Chorographus aduerit qua-  
litatē loci, hoc est, accidentia, Geographus autem  
uersatur circa quantitatē & symmetriam loco-  
rum, tum inter se, tum ad totius telluris ambitum.  
Tertium discrimen est, quod Chorographos ne-  
cessē est esse pictores, qui singulorum locorum fa-  
ciem & qualitatē adamassim pictura exprimant.  
Geographus autem per exiles punctos, quibus lo-  
ca ciuitatesq; significantur & ipsorum nominum  
inscriptioes, conatur indicare et corū situs, atq; to-  
tius terrarū orbis figurā. Hinc est, quod chorogra-  
phia mathematicae institutionis nihil eget, geogra-  
phiae uero mathematica plurimum est necessaria.

Quæ nam sīnt ad Geographiam præ-  
supponenda.   Cap. II.



Vis igit̄ finis sit eius, qui  
Geographiam exercere  
uelit, ac in quo differat à  
Chorographia, per hāc  
quasi summā sit nota

tum. Cum uero impræsentiarū sit pro-  
positum, nostræ habitabilis describere  
orbem, ut quām maxime cum ueritate  
cōgruat, necessarium arbitramur præ-  
mittere, peregrinationis historiā esse,  
quæ notitiam præstet ad institutionem  
talem, utpote quę plurimum afferat co-  
gnitionis, ex traditione eorum qui præ-  
diti scientia speculatiua, regiones par-  
ticulatim peragrariunt: quodq; cōside-  
ratio ac traditio hāc partim sit geome-  
trica, partim uero superiorum constet  
obseruatione. Siquidem ad Geome-  
triā spectat, quod per subtilest distan-  
tiarum dimēsiones locorum inter se se-  
positiones reddātur manifesta: ad ob-  
seruationem autem superiorum, quod  
idem fiat per apparentia, ex instrumen-  
tis, quibus astra & umbra obseruātur,  
quod & perfectius est & certius, alter-  
um autem difficultius, ac illius indigens  
ope. Primum enim quum necessarium  
existat, ut supponatur, secundum utrum  
que modum, ad quamnam mundi po-  
sitionem, duorum locorum inquisito-  
rum distantia uergat, (nō enim simpli-  
citer, aut solum hoc scire oportet, quan-  
tum locus unus distet ab alio, sed quo  
nam uersus, hoc est, ut dicere sciamus,  
num ad septentrionem, aut ortum, siue  
ad partiliores eorum inclinationes ten-  
dat) impossibile est, exacte hoc cōside-  
rare, absq; obseruatione, quæ per præ-  
dicta fit instrumenta, per quæ in omni  
loco ac tēpore facile, & linea meridia-  
ne positio ostēditur, & per ipsam igno-  
telocorum distantia. Inde & hoc con-  
cedi necesse est, dimensionem, quę per  
numerum fit stadiorū, haudquaquam  
certam nobis iuxta ueritatem præbe-  
re deprehensionem: quoniam raro in  
uisas rectas incidere contingit, propter  
circuitus uarios, qui & eūtibus & nau-  
gantibus occurrere solent: & quia ne-  
cessē est, ad rectitudinem inueniēdam,  
id, quod in uījs, tam ex qualitatibus,  
quām ex quantitatibus redundat, con-  
iecturando tantum, ab integris sub-  
trahere stadijs. In nauigationibus au-  
tem uentorum status, qui ut plurimum  
uites